

SPECIMINIS ACADEMICI

DE

NEXU RELIGIONIS ET LITTERARUM

---

PARTEM I. *Sola*

*Conf. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi.*

PRÆSIDE

Mag. FRANC. MICH. FRANZEN,

*Pbil. Pract. & Hist. Prof. Reg. & Ord.*

PRO LAUREA

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT

JOHANNES GUSTAVUS RANCKEN.

*Stipend. Bilmarkianus. Tavastensis.*

In Auditorio Majori die XXV Maji MDCCCXV.

*H. a. m. c.*

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

4.



IN  
SACRAM REGIAM MAJESTATEM  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
DIOECESeos ABOËNSIS  
EPISCOPO REVERENDISSIMO  
ACADEMIÆ AURICÆ  
PRO-CANCELLARIO  
EMINENTISSIMO,  
REGII ORDINIS DE STELLA POLARI  
MEMBRO SPLENDIDISSIMO  
S. S. THEOLOG: DOCTORI CELEBERRIMO  
DOMINO  
JACOBO TENGSTRÖM,

*Publicum, licet leve, animi, plurium beneficiorum sensu  
perfusi, gratiamque, quam referre non valet, habere  
saltem studentis, testimonium exstare voluit, debuit*

FAUTORIS PROPENSISSIMI

Cultor humillimus  
JOH. GUST. RANCKEN.

ECCLESIARUM  
IN BJERNO, FINBY ET ÖFVERBY  
PASTORI MERITISSIMO  
ADMODUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO  
DOMINO  
GUSTAVO RANCKEN,

*Quem in parente optimo diligentissimum habuit Doctorem*

pietas filii obedientissimi  
JOH. GUST. RANCKEN.



S. I.

**C**ulturam ingenii humani non experientiae tantum & intellectu, sed phantasiae etiam ac rationi, quae perfectum aliquid & absolutum persequuntur, debitam esse, constat. (a) Omnium autem, quas mens humana a se ipsa quasi perficit & absoluit, idearum, (b) vel pulchrum spectent ac sublime, vel utile, vel verum, vel honestum, sanctum ac beatum, nullae fere sunt, quae Religionem non attingant. Quid enim est Religio, nisi cognitio & cultus perfectionis idealis, aut in phaenomenis externis, quatenus & placent & profunt, eorumque causis prosopopoeticis, quatenus cum externam rerum naturam tum fortunam vitae humanae diiungere cogitantur, aut in re morali ejusque & principio & exemplo & vindice, clarius vel obscurius, rectius vel falsius cogitatae? Quo igitur sincerior erit pulchri sensus, quo sanius de vera utilitate & domestica & politica judicium, quo diligentius ac liberius

A

veri-

- 
- (a) Quam parvum & mancum sit, quod sensuum ope intelligimus nullo accedente imaginandi & ratiocinandi actu, facile videbis, si notionem, quam de stellis, ut in caelo micantibus punctis, immediata praebet experientia, cum theoria compares, quam Newtonis ingenium de systemate universi tibi suppeditavit.
- (b) Ideas hic appellamus non ultimos tantum rationis purae conceptus, sed omnes repraesentationes, quibus experientia nullum praebet objectum adaequatum (plene congruum). Illis autem totam niti veram Religionem, infra erit monendi locus,

veritatis studium, quo accuratior justī & honesti æstimatio, quo verior summæ felicitatis idea: eo integrior & perfectior Religio fiat, necesse est.

Hujus autem tanta est ad vitam humanam necessitas, tantaque in animos mortalium efficacia, ut omni tempore, quidquid religiosam indueret indolem, id singularem ab iis obtineret respectum. Ideoque non poëtae tantum & legumlatores, sed philosophi etiam & artifices ita præcipuam adepti sunt laudem & successum, si carmina, leges, dogmata & artificia eorum vel sacram haberent speciem & auctoritatem, vel ad cultum divinum augendum & ornandum valerent. Neque tamen hoc solum & præcipuum artes ac scientiæ Religioni debent, quod eas multitudinī hominum externo usu commendatas reddiderit, sed aliud adhuc & majoris momenti, quod scilicet internam earum indolem perfecerit, ad idealem eas extollendo orbem. Unde evenit, ut non universa tantum ingenii humani cultura cum rerum divinarum cognitione proxime cohæreret, sed diversæ etiam scientiæ artesque & religionis causa colerentur; & ad eam perficiendam maxime valerent. De qua re paucis agent, quæ sequuntur, pagellæ: quarum priorem fasciculum, loco speciminis pro gradu philosophico edendum, omni, qua juvenem decet, modestia, publicæ jam submittimus censuræ.

Optime autem consilio nostro, rem uberrimam delibandi tantum, satisfieri existimamus, si primum Poëseos & Artium, deinde Philosophiæ, tum Naturæ Scientiarum, postremo Philologiæ omnisque educationis litterariæ cum Religione connexionem animadvertamus. Quod enim opusculo inscripsimus vocabaturum *litterarum*, deficiente nos aptiori, id tam late intelligimus, ut non eas tantum disciplinas, quæ litteræ proprie adpellari solent, sed omnes significet scientias & artes, quibus humana excolitur natura.

§. 2.

Poësin & Religionem intime esse conjunctas & indoles & origo atque historia earum facile probant. Utriusque nempe hoc proprium est, ut rebus inanimatis animatam, physicis moralem, humanis divinam induant formam; omnemque rerum naturam in novam quasi & perfectiorem mutatam, phantasiæ exhibeant. Unde evenit, ut illa ipsa carmina, quæ Religionem impugnarent, hujus tamen, quo placerent, spiritum mutuarentur. Sic Lucretius ipsius naturæ vim Deam facere cogitur, ut e philolopho poëta evadat. (c) Hoc tamen ita non est intelligendum, ac si omnia carmina res divinas tractare debere existimemus. Primum enim observandum est, Religionis & poëseos convenientiam non sola materia, utrique haud raro communi, sed præsertim genio utriusque, in sublimiora tendente, constitui. Deinde distingvendum est inter poësin proprie dictam, quæ omnia in nova & perfectiora transformans, ipsa quasi creat (*ποιει*), & alteram, quæ vel describit tantum, vel in pejora mutat, ut irrideat. Hujus minime negantes pretium, illam proprie hic spectamus. Quæ quam proxime cum Religione cohæreat, præter ipsam legem illius, ideas persequendi, supra orbem experientiæ sublatas, origo etiam & exempla ejus præcipua satis ostendunt. Quid enim poësin genuit, nisi eadem fere, quæ Religionem, causæ: cum naturæ phænomena, vel gravia & sublimia, ut procellarum turbines, tonitruum fragores, maris aestus solisque ardor, vel grata & amœna, ut veris & auroræ facies, florumque & frugum deliciaræ; tum sensus animi, vel metu, vel admiratione, vel amore & pietate

A 2

com-

(c) Alma Venus, cœli subter labentia signa,  
 Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentis,  
 Concelebras: per te quoniam genus, omne animantum  
 Concipitur, visitque exortum lumina solis: cet.

commoti? Constat saltem, primos religionis doctores deorum-  
que ministros fuisse poetas, primaque carmina religiosa.

Silvestres homines facer interpretsque Deorum  
Cædibus & victu sordo deterruit Orpheus.

Nam & ipsi, qui docebant, naturæ ac philosophiæ cog-  
nitione destituti, phantasiæ magis quam rationis vi omnia  
comprehendebant; & eorum, qui docebantur, infantiæ ma-  
gis conveniebat, ut, quæ traderentur, allegorica, seu potius  
mythica, veste superinducta, carminibus signarentur, quæ &  
aures animosque mulcerent, & memoria teneri possent. Ita  
simul ortæ sunt poësis & religio, atque pari fere passu e-  
tiam processerunt. Diu enim illa hujus mansit vehiculum:  
cum non doctrina tantum versibus exprimeretur, sed præ-  
cipuam etiam cultus externi partem hymni constituerent: ad  
quem apud Græcos ludi quoque scenici accedebant. (d)  
Quid sacris solennibus Olympiæ, Athenis, ceterisque in lo-  
cis Græciæ celebratis Poësis Græcorum cum Lyrica, tum  
Dramatica debuerit, quis ignorat, qui nomina audierit Pindari  
Sophoclis, cet? Similiter apud Hebræos, summa poëseos  
artificia, psalmi & prophetiæ in Religione habuere causam,  
non externam tantum, sine qua ficta non essent, sed inter-  
nam etiam, sine qua tanta, qua pollent, caruissent sublimi-  
tate. Hæc autem rerum divinarum ad ipsius poëseos dignita-  
tem augendam vis deinde effecit, ut poëtæ quoque res divi-  
nas ad suum adhiberent usum. Nullam enim invenerunt ca-  
nendi materiam, consilio & arti suæ aptiorem, quam cui Re-  
ligionem admiscere possent, quæ nimirum ad altiora nitenti-  
bus

---

(d) Non antiqua tantum, sed recentior, etiam poësis Dramatica Re-  
ligioni originem suam debet. Prima enim hujus quoque exempla  
erant sacra, quæ in templis agebantur, dramata *Mysteria* &  
*Moralitates* adpellata.



bus ingeniis alas quasi addens, supra exiguum rerum mortali-  
 um gyrum mentem extolleret, finium, quibus in eo coarctatur,  
 impatientem. Ideoque non antiqui tantum vates, sed  
 recentiores etiam, vel in humanis enarrandis rebus, divina  
 adhibuere ministeria. In quo autem ausu *illos* feliciores red-  
 didit cognitandi ratio hominum antiquorum, qui eventum  
 quemcumque, vel insolitum sibi in explicabilem, vel gra-  
 viorem quodammodo & praesertim memorabilem, operae imme-  
 diatae numinis cuiusdam adtribuebant. Nec tamen vel postero-  
 rum omnes frustra laborant, qui carminibus pangendis,  
 quae ad Religionem quodammodo pertinentia, divinum qua-  
 si animum spirarent, summam in poeti quaesivere laudem.  
 Prima nempe post Homerum & Virgilium, plurimorum con-  
 sensu in Parnaso obtinere loca *Tasso, Milton & Klopstock*,  
 in sacro versati orbe. Neque tragoediae defunt recentiorum  
 cum antiquis comparandae, quae Religioni summam debeant  
 perfectionem. Insignia sunt exempla *Athalia* Racinii, *Zaira*  
 Voltairii, *Polyeuctes* Corneillii. His addere tentamus epi-  
 cum Gefsneri poema *Abels Tod*, & dramaticum Ewaldii *Den*  
*ulykkelige Prøve*; neque hujus e Gothica Religione hausit  
 tragoediam *Balders Død*, de qua inprimis gloriantur Musae  
 Danicae, hic nominasse ineptum fuerit. Minoris quoque gener-  
 is innumera sunt carmina, odae, elegiae, idyllia, quorum  
 praestantia ex ideis & factis religiosae originis pendet. Praeter  
 Hymnos Rousseauii, Popii tantum eximium memoramus poe-  
 ma: *Eloisa to Abelard.* (c)

§. 3.

Quod de poeti dictum est, idem fere de ceteris quoque  
 artibus elegantioribus valet. Primum nempe plurimae earum

A 3

rum

(c) Meretur legi de hoc argumento liber alias fatis paradoxus: *Genie*  
*du Christianisme* par F. A. Chateaubriand.

rum Religionis causa, si non inventæ, certe initio exultæ sunt. Ars Musica v. c. & Mimica, Architectura, Sculptura, Pictura, prima hominum studia eo excitarunt, quod ad cultum divinum adhiberi possent. Ut rudiores taceamus gentes, quarum unica fere artificia idola fuere & delubra: pompam Religionis Hebrææ, a Mose jam institutam, deinde autem a Davide & Salomone perfectam, ædificia sacra & symbolica, quæ in Aegypto vel hodie non sine summa spectantur admiratione, præsertim autem Græcorum templa, statuas, picturas ceteraque artificia musica & mimica, quibus festi ornabantur dies, verbo tantum moneamus. Ne autem medio ævo totæ perirent artes elegantiores, nil nisi sacer earum usus prohibuit. Musica v. e. in templis & monasteriis tractata, & Græcæ artis conservavit specimina, in modis sacrorum, quos canimus, hymnorum, vel hodie, ut vulgo perhibetur, exstantia: & novo aucta est adminiculo maximi sane momenti, lineis scilicet Musicis a *Guidone de Arezzo* monacho Benedictino sec: XI inventis: ut numerorum musicorum, a *Franco de Colonia* eodem seculo factam, inventionem taceamus. Architectura quoque, etsi antiquam perdidit elegantiam & dignitatem, novam tamen exseruit audaciam & sublimitatis speciem, in templis Gothicæ (rectius forte *Orientalis* adpellandæ) structuræ, quæ lucos, in quibus primi Christiani sacras celebraverant res, imitata isse videtur (f), adhuc conspicendam Similiter picturæ & sculpturæ rudimenta, quæ barbaræ erant ætati, cultus causa, quo non Deum tantum & Salvatorem, sed sanctos etiam & defunctos, prosequeretur, efficta & æstimata sunt. Præcipue autem notandum est, quantum artes una cum litteris

---

(f) Vide N. Bibl. der schönen Wisensch. T. 14. p. 291. Notatu dignum est, architecturam Religioni debere non universam tantum culturam, sed certas etiam formas, e certis exortas ritibus. Quod de Græcorum quoque valet ædificiis: in quibus vel ornamenta, capita v. c. bovina, quæ ad Doticum pertinent ordinem, sacram habuere originem.

litteris seculo 15 & 16 restauratæ, religioso debuerint temporis genio. Qvi nisi & principes ac optimates opulentosque cives & ipsos artifices animasset: neque Musica, neque Pictura, & Sculptura neque Architectura tam citatos ad summum fere fastigium fecissent progressus. Qvin, nostro quoque ævo, multis locis magnificentia cultus Dei externi ad artes fovendas haud parum conducit. (g).

Ceterum non externam tantum curam & æstimationem, sed internam etiam perfectionem Religioni debuerunt artes elegantiores. Sufficit Jovem & Minervam Phidiæ, Madonnas & Salvatores Raphaëlis, Angelos Guidonis, Tempa St. Petri Romæ & St. Pauli Londini conspicua, Oratoria Musica de natiuitate, passione, morte & resurrectione Christi, a Corelli, Hændel, Graun, Jomelli, Pergolesi ceterisque composita, nec non *Misam de Defunctis*. (Requiem) Mozarti & Haydnii *de Creatione* Canticum, nominasse: ut mox unicuique rei, de qua agimus, vel paullulum gnaro, in mentem incidat, quantum ideæ religiosæ artificum excitaverint ingenia, idealem in cœlestibus regionibus persecutura pulcritudinem & sublimitatem;

§. 4.

His de Poësi & Artibus breviter observatis, ad Philosophiam transgrediamur: cujus cum Religione non minorem esse connexionem, æque facile patebit. Aut enim rerum, quæ sunt & fiunt & fieri debent, divinarum & humanarum, causarum-

(g) Ut in Europa RomanoCatholica, sic in Asia Tibetana Religio pompam amat, artibus beneficam. Inter cetera artificia, huic debita, monumentum Dalai Lamæ in Teshulumbu constructum, Europæorum ibi peregrinantium excitavit admirationem. Qvi innumeras quoque voces & instrumenta musica, quibus summum numen in templis Tibetanis quotidie laudatur, non sine sacro audierunt animi motu.

farumque quibus continentur, aut naturæ & libertatis, aut ultimorum veri justî & boni principiorum, ex ipsa mente humana evolvendorum, aut absoluti & infiniti scientiam philosophiam esse intelligas: summam ejus, cum theoretice, tum practice consideratæ, in examinandis, definiendis & adhibendis ideis substantiæ, causæ & perfectionis absolutæ ponas, necesse est. His vero principiis dogmata de Deo, libertate & immortalitate animi humani nituntur: quæ Religionis sunt capita & fundamenta. Quantum igitur hujus perfectio a philosophiæ studio pendeat, a priori jam judicare licet: quod etiam Historia confirmat, testans, philosophia progrediente Religionem esse emendatam; illa vero relapsa hanc quoque corruptam.

Antiquissimæ philosophiæ eadem erat origo ac poëseos & Religionis: prima scilicet mundi contemplatio, primique motus animi humani, moralem suam sentientis naturam. Neque sine his illa existeret: a poësi enim formam, a Religione materiam mutuata erat. Quod non Græcorum tantum Theogoniæ & Cosmogoniæ, sed omnium fere gentium antiquissima carmina, mythicam continentia philosophiam, testantur, Hebræorum v. c. de Hiobo liber, Eddæ Scandinavorum, ceteraque. Atque omnes illæ fabulæ de origine & fine mundi, de diis & dæmonibus, bonis & pravis, de aureo ævo, de causa mali, de hominum cum diis & gigantibus pugnis, de terræ mutationibus, ceterisque, quibus mythologia continetur, rebus, quid sunt, nisi prima philosophemata rudis ingenii? Deinde autem, Mythicum & Gnosticum tempus philosophica excipiente ætate, forma quidem illorum, haud vero materies mutata est. Eisdem enim, quas phantasia mythis & imaginibus adumbraverat res, sacras & religiosas, ratio deinde vel physica vel morali via investigare & examinare incepit. Unde evenit, ut mutata in philosophiam poësi superstîtio etiam in religionem sensim mutaretur. Quomodo

do enim vel anthropomorphismum crassissimum, in quæm ætas barbara, nullius rei, nisi sensibus subjectæ, intelligendæ capax, non potuit non incidere, vel etiam superstitionem popularem, poetarum licentia nutritam, ferre quivissent, qui cum in causas rerum externarum inquirere, tum moralem hominis indolem e pectore suo evolvere incepissent. Diligentius cognita humana natura: etiam divinæ notio verior facta est; atque hominibus se corrigentibus dii quoque meliores cogitati sunt. Nam quod Moses narrat hominem ad imaginem Dei creatum esse, id vicistim de Deo dici potest, quem non potuit imbecillitas humana, quin sibi magis minusve conformem describeret. Sic Homeri *μακρογες θεοι* nido- re sacrificiorum vino amoribusque, heroum more, insigniter delectantur; Aristoteles vero veritate indaganda & contemplanda mortalis ad similitudinem cum Diis adfurgere dicit. Atque Jupiter Homeri, cum conjuge rixans, ejusque increpationes metuens, quantum a Jove Stoicorum, summo omnium rerum rectore, differt! Sed ante Stoicos jam & Aristotelem, non divina tantum Platonis, sed humana etiam Socratis Philosophia sapientiorum saltem, si non vulgi, mutaverat Religionem. Qui nempe votis hecatombisque Deorum quali emere velle favorem (b) soliti erant: eos Socrates docebat:

*Καθύναμιν δέρεται ἰερὰ ἀθανάτοισι θεοῖσι (i).*

Quod tamen salubres philosophorum doctrinæ ad populum usque penetrare non valuerint, ejusque corrigere superstitionem.

B

stitio-

- (h) Hanc cogitandi rationem ævo Homeri solennem fuisse, opera ejus factis ostendunt: in quibus nunquam bonitatis & justitiæ divinæ, sed munerum Diis a se collatorum mentionem faciunt, qui eos rogant. Videtis mox in initio Iliados (1: 37) Chrysis ad Apollinem orationem.
- (i) Vide *Xenophontis* Memorab. Socratis, L. 1: c. 3, 4 & IV: 3, quæ loca Religionem e prisca barbarie ad statum longe nobiliorem erectam testantur.

stitionem, id' partim quidem rationi horum temporum tribuen-  
 dum est, quibus non, ut nunc per egregiam typographiæ  
 artem, scholas publicas, doctores quæ populi fieri solet, be-  
 neficam litterarum lumen ad omnes diffundebatur, sed arcto  
 eruditorum gyro inclusum manebat. Partim vero etiam sa-  
 tendum est, philosophiam non valere ad multitudinem homi-  
 num docendam & emendandam, nisi mediante politica qua-  
 dam Religione. Hanc igitur reformare studuerunt totius po-  
 puli institutores, ipsi philosophica edocti meditatione; quam  
 tamen haud raro pro divina habuerunt inspiratione: Zoroas-  
 ter e. c. Mohammed, ceteri. Neque falsæ tantum Religio-  
 nes philosophandi studio reformatæ sunt, sed vera etiam;  
 cum scilicet humanis corrupta esset fraudibus & erroribus.  
 E quibus purgata doctrina Christi, quantum philosophiæ de-  
 buerit saniori, cuique constat, qui historiam Europæ e super-  
 stitione & ignorantia mediæ ævi restauratæ vel paullulum  
 cognoverit. Non philologiæ tantum, sed etiam philosophiæ  
 studium Lutherum, Melancthonem, Erasmus ceterosque  
 formaverat religionis reformatores. Neque recentiori ævo  
 illa sine hac vel theologiam cum dogmaticam tum moralem  
 vel exegetin biblicam ad illud evehere fastigium valuisset,  
 e quo jam relabi fere mirata est.

Sed objicietur: philosophiam ad' corrumpendam quoque  
 Religionem haud parum conduxisse. Sic quando Philosophi  
 Græci & Romani Christianismum amplexi sunt, subtilitatibus  
 & disputationibus scholæ adveti, novæ Religioni philosophi-  
 cum tenorem tribuere studentes, vano illam onerarunt erudi-  
 tionis adparatu. Ex isto tempore ea quæque Religionis capi-  
 ta, quæ aciem mentis humanæ prorsus effugiunt, explicaturi,  
 terminis utebantur metaphysicis, (quales erant *της*, *υπο-*  
*στασις*, cet) quos ipsi non intelligebant, de sensu eorum a-  
 cerrime inter se dimicantes. Præterea quotquot philosophi  
 quævisarum scholarum ad Christianismum transierant, philo-  
 sophiam

sophiam, cui jam ante adhæserant, cum nova Religione conciliare, immo plura illius placita in hanc inferre cœperunt, unde hæc ipsa tanta hypothesium ineptarum & somniorum stultorum multitudine inquinata est, ut ad illam totam extirpandam, genuinamque, menti auctoris & sanæ rationi convenientem, formam Religioni reddendam conjuncto plurimum seculorum labore opus esset. Inprimis doctores Christiani, e schola, Alexandriae florente, oriundi, plurima Religioni adtulerunt damna. Notum enim est, in hac urbe ob favorem regum Ptolomæorum numerosamque bibliothecam, egregiam discendi facultatem præbentem, summam *Πολυμαθεϊαν* viguisse, syncretismumque, ex omnibus philosophandi rationibus, inde a Zoroastro ad Aristotelem usque conflatum, maxime probatum fuisse. E quo fonte emanarunt & Gnosticorum, de Aeonibus, mundi fabricis, phantasmate, & turpis doctrina (Persicæ originis de Diabolo, Deum potentia fere æqvante, imperiumque mundi cum hoc participante, ita ut ille noctis, hic diei dominus haberetur, atque tota illa Dæmonologia (Chaldaica), quæ metum spectrorum artificiorumque Diaboli & forte cultum sanctorum peperit; inde & castigationes ascetarum, eremitarum & monachorum, ceterique mystici errores, (ex abusu philosophiæ Platonice derivandi, ad quos placitum quoque *de Purgatorio* referendum est,) Christianam inundarunt & corruperunt Religionem. Quin, ipsius Aristotelis sobria philosophia in Scholasticam Theologiam medio ævo mutata, tam spinosam & sterilem reddidit Religionem, ut præter longam compagem verborum sesquipedalium tædium vel procul audienti excitantium, nullum ferret in vita humana fructum. Neque minus recentiora philosophiæ systemata, a Cartesianismo usque ad Kantianum, si vel falsam moverint suspensionem, ne ipsa fundamenta Religionis everterent, methodum certe eam cum ex fonte suo hauriendi, tum papulo tradendi turbarunt & corruperunt. Notæ sunt diversæ de interpretanda Scriptura Sacra hypotheses, diversis super-

fructuæ philosophiæ principiis: quarum *Moralis* Kantii & *Psychologica* Pauli nimis arbitrariam reddere exegetin biblicam hodie tentarunt. Neque minus cognitæ sunt mutationes didacticæ sacræ, e philosophiæ mutationibus exortæ. Sic methodus mathematica asseclis Wessianæ philosophiæ adeo vehementer placuit, ut vel in concionibus sacris, coram populo habendis, ea uterentur. Similiter nostro ævo terminologia Kantiana, ut omnium fere rerum, sic Religionis doctrinam cum cateheticam, tum oratoriam difficillimis impedire minata est subtilitatibus. Nuperrime autem mystica quædam Religionem proponendi ratio e diversis in Germania philosophiæ scholis exire videtur: desiderantibus scilicet animis, quos nimis abstrusæ fatigarunt disquisitiones, jam novi aliquid, quod phantasiæ & pectori gratius & acceptius sit (k). Ceterum, et si atheismi, ceterorumque errorum impiorum, falso accusati fuerint plurimi philosophiæ choragi: non est negandum, hujus nifum religioni contrarium aliquando revera fuisse. Sed notandum est, id imprimis in iis terris evenisse, ubi liberior impediata esset philosophandi ratio. Sic inter philosophos RomanoCatholicos longe plures fuerunt Religionis inimici, quam inter Lutheranos. Hierarchiæ igitur, non philosophiæ culpa est, si hæc Religioni noceat. Utcunqve hoc sit, id certe valet, de quo hic agimus, quod scilicet philosophiæ, vel sanioris, vel minus sanæ, in Religionem vel emendandam, vel corrupendam maxima sit efficacia.

§. 5.

Vicissim autem hujus in illam mutandam haud minorem fuisse vim: omnium temporum experientia ostendit. Ipsa origo

---

(k) Vide quod de *Sancto* scripsit Eschenmayer in libro: *Der Eremit und der Fremdling*: cujus recensio occurrit in *Alg. Litt. Zeit.* 1895. N:o 4.



go philosophiæ Religioni debita est: cujus scilicet cum mythica ornamenta, tum moralia principia examinare inceperunt, qui sagaciori pollerent mente. Neque apud Græcos tantum Pythagoras, Xenophanes, Socrates ceterique, sed apud Persas quoque & Sinenses Zoroaster & Confucius superstitione populari ad meditandum commoti sunt. Præsertim autem Religio Christiana & causam & materiam philosophandi cum adversariis tum defensoribus dedit. Primum notatu dignum est, quantopere loca Religionis de Trinitate, de Redemtionem, de Persona Servatoris, ceteraque, ingenia virorum sagaciorum acuerint, quod immensus numerus sententiarum, a symbolis decretisque conciliorum abhorrentium, quæ hæresium nomine venire solent, satis demonstrat. Deinde origo philosophiæ Ecclésiasticæ aliqua ex parte adio in Christianismum sine dubio tribuenda est. Videtur nimirum consilium Ammonii Sacæ, præcipui hujus scholæ conditoris, fuisse, ut novo philosophandi genere floribus omnium hucusque scholarum decerpendis systema necteret quod Religioni Christianæ opponi posset. Tum nostris quoque temporibus quanta excitavit ingenia pro & contra Christianismum ardor? Neque revelatæ tantum, sed naturalis etiam Religionis, cum oppugnandæ, tum defendendæ causa, maximi in orbe philosophico omni ævo suscepti sunt labores. Atque paucis omnino placerent loci illi asperrimi & spinosissimi, in quibus præcipue versatur philosophia, nisi Religionis fundamenta inde essent quaerenda. Ceterum non operam tantum, qua culta est, philosophia Religioni debet, verum plures etiam & gravissimas veritates, quas sine hujus divina auctoritate vix adtigisset, minime autem tam clara perfusas luce, qua jam illustratæ sunt, exhibuisset. Multas certe Christiana philosophia soluit quaestiones maximi momenti, quas antiqua vel neglexit, vel in medio reliquit: de conciliandis v. c. justitia & bonitate Dei, providentia divina & libertate humana, virtutis & felicitatis studio, de amore in inimicos, de origine mali, cet.

Sed nocuisse quoque philosophiæ Religionis studium, ex altera parte non est dissimulandum. Nam ut diversa taceamus philosophiæ systemata, superstitione fundata, ut Cabbalisticum v. c. ceteraque theosophici & mystici generis: in unum observandum est, opiniones religiosas duplici modo liberam impediisse philosophandi rationem. Primum in ipsos philosophos interna earum vis tantum valuit, ut illis placita sua accommodare anxie nitentes, contortis anfractibus rectam ad veritatem perderent viam. Quod non mediis tantum, sed antiquis etiam & recentioris ævi philosophi vel summi ordinis a *Socrate*, qui populari indulgens superstitioni a dæmone se inspirari credebat, usque ad *Kant*, qui vel diaboli, ut peccati auctoris, rationem ex sua philosophia explicare conatus est, (1) plus minusve a se fieri aliquando passi sunt. Deinde externa Religionis auctoritas, civili adjuncta imperio, tantum non omnes turpiter impedivit, ne vel persequerentur meditationes suas, qui liberius cogitare ausi essent, vel cum aliis eos communicarent. Sinistrum erant omen prima jam exempla summorum philosophorum *Anaxagoræ* & *Socratis*. Quare duplex existit philosophia, *Exoterica*, quam palam profiteri licebat, & *Esoterica*, quæ nonnisi cum initiatis scholæ communicabatur, illi haud raro contraria. Nec apud Græcos tantum, aut Romanos, sed apud *Indianos* etiam & *Sinenses* haec valuit distinctio. Omnem tamen gentilem hierarchiam Romano-Catholica superavit: quæ quanta lævitate & astutia per secula omne depresserit cogitandi studium, quis est, qui ignoret? Atque nostro quoque ævo nonne a liberis cogitando multi impediuntur timore, quem calamitates reipublicæ Gallicæ vel apud honestissimos veritatis cultores injecerunt, ne nimia philosophandi audacia Religionem vel civitati

---

(1) Vide librum ejus: *Religion innerhalb die Grenzen der bloßen Vernunft*.

tati periculosa evadat? Sed horum tamen omnium philosophiæ impedimentorum culpa Religioni minime tribuenda est: quippe quæ huic non minus quam illi nocuerunt. Nempe distinguenda est Religio & a præjudiciis & ab institutis ecclesiasticis: quibus non raro tota fere suffocatur. Quid medio v. c. ævo, cum maxime dominaretur hierarchia, erat Religio? Nonne contrarium ejus, quod esse debuisset? Externi tantum cultus, illiusque ineptissimi ratio habebatur, mentis emendatione & moralitate prorsus neglecta. Vota temeraria, fœda hypochrisis & vera idololatria (quid enim aliud erat & cultus sanctorum, sæpissime omni indignorum æstimatione, & timor dæmonum inferni?) locum occupaverant amoris in Deum & homines, qui Christianam constituit Religionem. Deum ipsum lucri studiosum fingeant, qui peccata ob argentum remittendi veniam doctoribus avaris scelestisque concessisset! Quid vel hodie est Religio eorum, qui omnem suffocare student cogitandi libertatem? Aut hypochrisis, aut superstitio! Similiter ex altera parte, quid est philosophia eorum, qui omnem tollere optant Religionem? Aut sophistica vaniloquentia, aut cæcus fanaticismus, superstitioni omni nomine æqualis! Vera autem Religio cum vera philosophia facile conciliatur; neque huic ab illa magis abhorrendi, quam illi hanc aut timendi, aut persequendi, justa est ratio.



1848

1. The first part of the book is devoted to a general history of the world, from the beginning of time to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

2. The second part of the book is devoted to a history of the United States, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

3. The third part of the book is devoted to a history of the British Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

4. The fourth part of the book is devoted to a history of the French Republic, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

5. The fifth part of the book is devoted to a history of the Russian Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

6. The sixth part of the book is devoted to a history of the Ottoman Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

7. The seventh part of the book is devoted to a history of the Spanish Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

8. The eighth part of the book is devoted to a history of the Portuguese Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

9. The ninth part of the book is devoted to a history of the Dutch Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

10. The tenth part of the book is devoted to a history of the East India Company, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.



11. The eleventh part of the book is devoted to a history of the United States, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

12. The twelfth part of the book is devoted to a history of the British Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

13. The thirteenth part of the book is devoted to a history of the French Republic, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

14. The fourteenth part of the book is devoted to a history of the Russian Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

15. The fifteenth part of the book is devoted to a history of the Ottoman Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

16. The sixteenth part of the book is devoted to a history of the Spanish Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

17. The seventeenth part of the book is devoted to a history of the Portuguese Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

18. The eighteenth part of the book is devoted to a history of the Dutch Empire, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

19. The nineteenth part of the book is devoted to a history of the East India Company, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.

20. The twentieth part of the book is devoted to a history of the United States, from the first settlement to the present day. It is written in a simple and plain style, and is intended for the use of the young.